

1724 36

De
IDEIS FICTIS

Et
FICTIONUM USU

differunt
Præses

**GOTTFRIED POLY-
CARPUS MÜLLER,**


Gymn. Zittav. Direct.

& respondens

**JOHANN SIGISMUND
GOTTSCHALCK,**

Gymn. Zitt. alumnus.

In auditorio majori Gymnasii Zittaviensis, d. xvll. Febr.
h. IX. An. clo lcccxliv.



ZITTAVIÆ,
Charactere Michaelis Hartmanni.

l. diss. A
12

a. LXXXI. 12.

20

INDRIS FIGURS

FIGURIO ILLIUM

SCOTTI ILLIUM

SCOTTI ILLIUM

Stads.
Landes-
Bibl.

SCOTTI ILLIUM

SCOTTI ILLIUM

SCOTTI ILLIUM

SCOTTI ILLIUM

Præfatio.



DE ente vero fictoque præcipit metaphisicus; de hypothefibus fictis difserit sæpe phisicus. Rerum omnium, quot quot à mathematicis & artificibus inveniuntur, origo fictionibus primum debetur: quónimo totum poffibilitatum, ut philofophi loquuntur, regnum fictio maximam partem comprehendit. In iis, quæ ad institutionem & exercitationem vitæ communis fpectant, fictio sæpe locum habet: ita ut jurisperitus de cafibus feu exemplis fictis, & de arte fcite fingendi politicus, sæpe cogitet & loquatur. Quid ficti conceptus ab aliis differant, & qua ratione temperari, vel ad veritatis cognofcendæ ufum transferri, debeant, logicus tradit: tota vero ars poëtica, & aliqua rhetoricæ pars, in fictionibus appofite formatis, nititur. Quam ob rem, cum per totum philofophiæ & vitæ ambitum fictio diffundatur; de fictis ideis, earumque ufu, ita exponere placet, ut primum natura earum & fumma genera, dein vero horum omnium ufus, patefcant.

Caput I.

De

Natura & generibus idearum fictarum.

§. 1.

Fingi primum de rebus dicitur, formandique aut componendi vim & potestatem habet. Natura animalia ventri obedientia finxit, & dii quosdam inopis & pusilli animi finxerunt, ut Horatius L. 1. Serm. Sat. IV. 4. loquitur. Statuarum artifices pictoresque fingunt corpora. Quintil. Instit. L. III. c. XI. Fingi porro de sermone & loquendi simulata ratione dici consuevit, ut verba inania, mendaciaque fingere optimi scriptores dixerunt. Fingi ulterius mores dicuntur, ut fingere se rhetora Martial. L. II. Ep. 63. fingere virtutes, vultumque alterius, innumeri dixerunt. Fingi demum ideas, rerumque notiones, dicimus, quoties rebus suis aut objectis non respondent. Atque de his fictis notionibus vel maxime hic nobis erit differendum.

§. 2

Etenim ex ideis fictis prodeunt fingendi actiones, sive actiones fictæ: de illis igitur primum constare debet. Idea, conceptus, notio, est rationis humanæ, (de hominum ideis fictis sermo est) operatio, quæ rei cujuscunque proprietates, sensu perceptas, junctim cogitando repræsentat. conf. Mülleri *Weisheit und Klugheit* p. 292. Qui ideam dicunt actionem, qua intellectus impressiones sensuum, uti oblatae sunt, concipit, duplex nobis vitium admisisse videntur: unum, quod impressiones sensuum pro rerum proprietatibus, sensu acceptis, obscure posuerint, & alterum, quod idem explicent per idem, ideam enim formare & concipere unum idemque sunt. Omnem vero intellectus actionem, aut omnem memoriæ actionem, pro idea habere, & in hoc ipso propriam ejus naturam quærere, ne confutatione quidem dignum

dignum

dignum judicamus: cum judicia & ratiocinia pariter sint omnium consensu intellectus actiones, & dum fiunt, memoriæ fiant beneficio.

§. 3.

Idea ficta est, quæ rerum proprietates quascunque libere conjungit, ut si hominem concipias alatum, angelum figura pueri vel juvenis alati, Romam in Saxonia existentem. Fictio enim est rationis actio, qua res quascunque sine sensuum respectu libere combinare solet. Ideis itaque fictis opponuntur sensationibus respondentes, quas plurimi adventitias, alii reales, dixerunt. Equidem ideam fictam logici fere omnes eam dicunt, cujus objectum extra intellectum non existit tale, quale concipitur: nec descriptio hæc plane à natura fictionis abludit, sed angustior tantum est, quam quidem esse debebat. Concipe quæso machinam, cujus principium motus mere mechanicum ita sit dispositum coordinatumque, ut semel motum æquilibrium invenire nunquam, aut ad quietis punctum redire nunquam, possit; qualem quidem machinam perpetuum mobile pure mechanicum jure diceremus. Iam nemo nostrum novit, an talis machina vel existat, vel extiterit, vel extare possit: an ergo erit idea ficta, aut adventitia vel realis? Quicquid respondeas, ideam fictam latius patere videbis iis, quibus nulla in rerum natura objecta respondent. Clarius: omnes artificiorum & opificiorum ideæ, antequam artificia & opificia existerent, nulla habebant objecta, quæ iis respondebant, jam vero respondent iisdem objecta vere existentia: num ergo ideæ eorum desierunt esse fictæ, num vero etiamnum pro fictis sunt habendæ? Scilicet confunditur verum & falsum, reale & fictum. conf. Mülleri Philosoph. Facult. Super. accommod. P. II. p. 406.

§. 4.

Rem omnem ad evidentiam deducere placet. Scilicet quoties idea non ducitur ab objectis, à nobis quovis modo sensu, si-

ve mediate sive immediate, perceptis, sed à libera facultate rerum proprietates perceptarum inter se combinandi, toties fingimus. e. g. nemo Apollinis ideam ab ipso Apolline percepto, aut, ab ejus operibus ullis, efformavit, sed placuit ejus personam libere collectis eius proprietatibus efformare imaginando: cœli terræque circulos, & ad circulum divisiones, in cœlo & terra nemo percepit, ficti igitur & fictæ sunt. Quicquid ergo in quavis idea à sensibus ductum non est, sed libertate imaginandi superadditum, id fictum est: sive objectum ejusmodi ideæ existat in rerum natura, sive non existat. Sic idea cujuscunque ædificii exstruendi idea ficta est, non quia ædificium nondum existit, sed quia idea ratione combinationis omnium partium à sensu nullo, sed à libertate imaginandi, ducit originem.

§. 5.

Hanc fingendi veram naturam Peripatetici jam deprehenderunt, & cognitam tradere voluerunt, cum de ente rationis, quod enti reali opponunt, ejusque generibus diversis, in metaphysicis explicarent. Idea enim ficta, quatenus ut existens in ratione fingente concipitur, & ita essentiam & existentiam habens, ens fictum dici consuevit. conf. Mülleri Weisheit und Klugheit p. 14. & 15. Hoc ipsum ens rationis est peripateticorum, cujus naturam non in objecti non-existentia, (liceat cum metaphysicis loqui) sed in rationis libera combinatione recte quæsierunt. Hinc tot entis rationis genera tradunt, quorum unum modo chimericum est, sive ejusmodi, ut nullum habeat objectum, sibi in rerum natura respondens.

§. 6.

Ne quid evidentiae desit, causas idearum fictarum ordine investigabimus, ut definitionem per causas eruere, & divisiones consequi, liceat. Idea ficta rerum proprietates conjungit: materia itaque fingendi sunt rerum proprietates veræ, sensu quovis modo perceptæ, & cogitando expressæ. Qui montem sibi aureum fingit, & montis & auri proprietates jam satis novit. Ra-
tio

tio enim humana non producere res ipsas poterit, sed tantum productas quovis modo variare.

§. 7.

Idea ficta has veras rerum proprietates conjungit: ita ut fictio tota sit combinatio earum, ex rationis libertate progrediens. Propria ergo natura fingendi in hac combinatione consistit. Non tamen rerum ipsarum conjunctio & combinatio ad ideam fictam præcise requiritur, sed sufficit combinare libere rerum proprietates: quemadmodum solem concipere sanguineo colore infectum, aut oculum hominis selito centies majorem, ficta est idea, licet res ipsæ cogitando non combinentur, ut si centaurum fingendo concipimus. Conjunctio vel combinatio proprietatum libera est earum coordinatio secundum quemcunque ordinem, ut junctim totum aliquod cogitando repræsentent.

§. 8.

Sunt, qui ideam fictam vel ratione existentiae tantum, vel ratione essentiae simul, talem esse opinantur; ut si oculos hominis in pectore existentes concipias, vel civitatem fingas Platonicam; prius enim fictionem existentiae tantum, posterius essentiae simul, appellare consueverunt. Verum totâ hac divisione opus non est, si in conjunctione vel combinatione proprietatum libera ideæ fictæ naturam, ut par est, quærimus: nam sive existentiam sive essentiam fingendo concipias, conceptus semper combinatione proprietatum absolvitur. Objectum tamen, quod idea ficta fingitur, vel ratione existentiae, vel essentiae simul, fallit: sed fingere & errare non est unum idemque.

§. 9.

Cum fictio hac libera combinatione constet, illæ vero tantum cogitando combinari invicem proprietates possint, quarum naturæ inter se conveniunt: objectum idearum fictarum specialius erunt proprietates rerum convenientes. Combinare cogitando est convenientiæ animo perceptæ beneficio junctim
con-

concipere. Oppositæ ergo rerum proprietates nec combinari conceptu, nec fingi ideo conjunctæ, possunt: unde lapidem ligneum, aut vitam mortuam, vel demum virtutem vitiosam fingere in nullius potestatem cadit.

§. 10.

Libera ejusmodi combinatio fieri ab illa facultate cogitandi nequit, quæ nexus rerum & proprietatum, quibus concipiuntur, necessarios sistit; sed ab altera, cujus virtute nexus tantum possibile veniamur. Illa iudicium, hæc ingenium audit: ita ut hoc ipsum animi humani ingenium, idearum fictarum efficiens causa, eaque propria, jure habeatur. Nec facile erunt, qui dissentiant; licet de ingenii natura consentiant pauci.

§. 11.

Judicium sane & ingenium una sunt facultas, sed usu & applicatione discrepant: vis enim cogitandi eadem modo necessariis modo possibilibus tantum proprietatum nexibus investigandis & concipiendis adhibetur. Quod vero non paucis duæ fuerint visæ facultates, quæ non idea tantum, sed re ipsa, discerni à se invicem possint: id quidem nec ratione potest evinci, nec experientia. Rationem, quousque eorum, quæ de his per scripta sunt, revocare memoriam possumus, nullam afferunt: in experientia tamen constanti, qua multi dentur ingenio præditi, iudicio destituti aut debiles, & versa vice, omne opinionis suæ præsidium collocant. Sed hæc ipsa experientia nil efficit aliud, quam temperamenti virtute & efficacia, in quibusdam unam eandemque facultatem cogitandi frequentius & alacrius nexibus rerum necessariis, in aliis nexibus earundem possibilibus, adhiberi. Quin imo illos, quos in rebus eruditis iudicii vel ingenii expertes cernimus, in rebus vitæ communis, aut ludicris interdum, vel utroque, vel uno minimum, deprehendimus sæpe excellentissimos. Nec jocus nec causarum divinatio, quæ à multis soli tribuuntur ingenio, huic tantum competunt, & genui ac
pro-

proprii fructus: sed uti fictio soli ingenio propria existit, ita jocus cum divinatione non à solo ingenio, sed simul à Judicio, sæpe fit & perficitur.

§. 12.

Demum libera hæc potestas, proprietates rerum convenientes diversis modis combinandi, immediate producit ideas fictas; hæ vero usum habent duplicem, quorum alter contemplationi, alter actioni inservit. Scilicet combinatio convenientium partim ostendit progressum cognitionis ex semel cognitis rerum proprietatibus, partim rerum ab homine producendarum effingendarumque præbet fundamentum: illud usum theoreticum, hoc practicum dicere licebit. Uterque usus in eo convenit, quod artificiorum, quæ in humanam potestatem cadunt, genesis manifestetur: hanc igitur artificiorum inventionem idearum fictarum finem proprium haberi posse & debere censemus.

§. 13.

Quemadmodum ingenium ad fictionem totum refertur per §. 9. ita hic idem finis ingenii erit, qui est idearum animi fictarum. Non sumus nescii, hunc finem ingenii probatum in reprehensiones eorum esse incursum, qui eam ob causam datum nobis ingenium dicunt, ut Judicio viam ad reconditiores veritates aperiat: sed uti per has reconditiores, quas obscurius dicunt, veritates, dubio procul intelligunt essentialia & necessaria, ita ratione & experientia facile confutantur. Ingenio exercitatos Judicio, & veritatum essentialium, vel, si mavis, reconditorum, cognitione deficere, Judicio vero expeditos ingenio destitui, experientia probat; tantum abest, ut vis & excellentia ingenii viam Judicio monstret ad suas veritates. Libera proprietatum combinatio non potest viam monstrare nexus rerum necessarios inveniendi, cum sibi opponantur. Posse vero & ingenii operationes, & res quasvis, adhiberi libere ad Judicii circa

B

eas

easdem exercitationem, nemo dubitabit: sed liberi rerum usus non sunt fines earum proprii & essentielles.

§. 14.

Quod si, quæ huc usque disputavimus, in unum colligere fasciculum placet: ideæ fictæ notio præcisa, per causas suas explicata, prodibit. Idea ficta est idea, ab ingenio humano per liberam proprietatum rerum, quarum naturæ inter se conveniunt, combinationem formata, ut rei artificialis cuiuscunque, ab hominibus producendæ, inventionem præbeat. Ex his definitionis partibus idearum fictarum genera ordine deducere animus est.

§. 15.

Idea ficta ab ingenio humano formatur: ingenium vel est amplum & capax, vel angustum & tenue: ideæ ergo fictæ vel ampliores sunt, vel angustiores. Hanc capacitatem fingendi exquisitiora & ampliora hominum opera, arte producenda, requirunt, ut sunt poëmatis epici, comœdiarum & tragœdiarum, integrarum civitatum & rerum publicarum &c. fictiones: cum angusta idea elegiis veterum, & unius personæ civilis efformationi, sufficiat.

§. 16.

Formantur ideæ fictæ per liberam proprietatum rerum combinationem: rerum vero proprietates citra respectum ad res ipsas, earumque existentiam, id est libere, combinantur vel augendo vel minuendo rerum ipsarum ideas, & augmentum vel ampliatio vel compositione, diminutio vel contractione vel divisione, fieri in univèrsum potest. Sunt ergo hac ratione quatuor idearum fictarum genera: primum fit per ampliatio- nem, vel amplificationem, idearum adventitiarum sive realium, ut si scalam ad nubes usque, aut ad ipsas stellas fixas, protensam, vel hominem gigantem, animo concipimus; secundum fit compositione earundem idearum, quemadmodum solem die
pa-

paschali sub ortu saltantem, hominem centimanum, aut rempublicam solis cum Gasp. Scioppio, & stellarum incolas cum Christiano Hugeno, efformamus; tertium fit contractione earundem idearum, qua pygmæos, antiquorum fabulis celebratos, aut Epicuri & Democriti atomos, sistere nobis imaginando possumus; quartum fit divisione, qua hominis dimidiatæ partes, terra æqualiter dissecta, & similia, concipi consueverunt.

§. 17.

Proprietates rerum fingendis ideis adhibentur; proprietates autem vel qualitates sunt vel quantitates; alia ergo idea ficta qualitatum, alia quantitatum, alia & qualitatum & quantitatum, erit. Divisiones mathematicæ, quibus lineas, areas, angulos, corpora, ad libitum secant cogitando, solius quantitatis; conceptus elementorum, à Peripateticis descriptorum, quibus ignis calidum & siccum, aqua frigida & humida, & quæ sunt reliqua, habetur, solius qualitatis; notiones vero Cartesianorum, quæ elementum primum, secundum & tertium, aut recentiorum quorundam, quæ particulas aut bullulas, expandendi & contrahendi virtute præditas, certis radiis instructas, aut vacuas vel inanes, &c. repræsentant, qualitatum & quantitatum conjunctarum fictiones sunt.

§. 18.

Proprietates, quarum beneficio fingimus, sunt rerum, quovis modo perceptarum; atque ita & spiritualia & corporalia diversissimo modo confinguntur. Dantur ideæ fictæ spirituum, ut angeli præsides globorum cœlestium; dantur corporum, ut hætenus recensitæ; dantur spirituum & corporum simul, si in scala, ad cœli imum protensa, angelos alatos, corporibusque & stolis albis indutos, nobis sistimus.

§. 19.

Demum fingimus ideas fictas, ut rei artificialis cujuscunq; inventio prodeat: vel igitur apta huic idea, vel inepta, & rursus

vel possibilis, ut in opus & effectum deducatur, vel impossibilis erit. Sic idea perpetui mobilis mere mechanici à plurimis effectu impossibilis habetur: sed idea horologii, per decennium, si motum semel ceperit, absque nova intra hoc spatium motus restitutione, horas decurrentis censetur possibilis. De aptis vero & ineptis fictionibus ex usu fictionum commode poterit judicari.

Caput II.

De

Fictionum usu.

§. 1.

Fictio vel pro actu, vel pro effectu, consuetudine loquendi accipitur: prima potestate fingendi illum animi, aut ingenii, actum notat, quo ideæ fictæ in animo coeunt, secunda vero ideam fictam notare consuevit. Hæc est hujus loci; sed cum consueta loquendi ratione, si de usu idearum fictarum scriptores præcipiunt, fictionis voce potius, quam idearum fictarum utantur: de fictionum usu potius, quam idearum fictarum, inscribere hunc alterum dissertationis locum placuit.

§. 2.

Usum fictionum est translatio earum ad artificialium rerum inventiones; ut ex fine, jam probato, nemini potest esse obscurum, Per rerum classes igitur hunc ipsum brevibus deducam. In Grammatica voces fingimus, ad idearum efformatarum rationes: ita ut verba in usitata & ficta dividerit Quintil. Instit. Orat. L. I. C. V. Fictio vocum concinna & apta est, si illæ proprietates fingendo combinantur, quæ usui & auctoritati, (genium linguæ nonnulli dixere) ac rebus explicandis probe conveniunt. Modo enim, ut defectui linguæ scite succurramus, modo ut ma-
jor

ior sit vocis, & sensus ejus, in animo hominum efficacia, voces finguntur: ita ut hæc fictio multum quoque ad jocum possit conferre. Sic lupercalia & solitaurilia, ad hæc ludicra recens inventa, conficta fuerunt; ut illud luere per caprum, uti Cicero interpretatus est, & hoc lue, ove & tauro, peractum solenne exprimat. *ὀνοματοποιία*, id est, nominis fictio, (ita Quintil. L. VIII. C. VI. differit) Græcis inter maximas habita virtutes, nobis (Latinis) vix permittitur. Et sunt plurima ita posita ab iis, qui sermonem primi fecerunt, aptantes affectibus vocem: nam mugitus, sibilus & murmur inde venerunt. &c. Hæc ille. Sane *καταχρήσεις* sæpe aliquid ficti, in rebus & verbis, continent.

§. 3.

Rhetorica fictiones ad tres potissimum usus transferre conuevit, ad figurarum scilicet, amplificationum vel exaggerationum, & demum schematum, formationem. Apta est fictio, si affectui, his adminiculis rhetoricis commovendo, & imaginandi, quibus idem vestitur, formis probe respondet. Figuras sententiarum hic intelligimus, quæ signa sunt vehementioris imaginationis & affectus, sermone expressa. v. Mülleri *Abriß der Oratorie*. p. 81. sq. Exaggerationes & amplificationes sunt deductiones rerum ad suam cujuscunque generis excellentiam. vid. ib. p. 64. seqq. circumstantiæ igitur & comparationes, sæpius concinne & cum probabilitate fictæ, rebus ipsis exaggerando circumponuntur. Schemata integrarum orationum hic in primis intelligimus, id est, tropos singulis orationis partibus adhibitos, ut iis [tota oratio circumvestiatur: recentiores oratorias inventiones dicere consueverunt. vid. ibid. pag. 124. sqq. Hi tropi sæpe ficti, sæpius fictione aucti, deprehenduntur. Quod si actionem simulatam ad rhetoricam refers; ad hanc quoque fictio requiritur. Orator, imo quilibet homo politicus, actione exprimere omnes debet morum characteres; hi ergo de personis, affectibus, vivendique conditionibus, pri-

mum apte fingi debent, antequam actione reddantur. Hinc est, quod mores & affectus in veros & fictos dividantur. v. Quintil. L. XI. C. III.

§. 4.

Poësis, si secreta ab oratoria arte concipitur, tota nititur fabula id est fictione. Poësis est rerum deductio per fictionem, qua naturam imitamur, ut imaginationi fiant & affectui excitando aptiores. Concinna toties erit fictio Poëtica, quoties naturam rei ita imitatur, ut nil contineat non verisimile. De hac Scaliger de Re Poëtica, Masenius in Palæstra eloquentiæ ligatæ, & quod ad fabulas scenicas, & hoc totum artificium, Poësi proprium, attinet, Abbas d' Aubignac in Pratique du theatre, aliique plures, exquisite tradiderunt. De apologorum & fabularum, id est exemplorum fictorum, usu, in concionibus vel maxime, quorum Socrates & Stesichorus quondam, Himerâ Siciliæ urbe oriundus, Tarquinius Prisci & Servi Tullii, Romanorum Regum temporibus clarus, optimi fuerunt artifices, probe scripsit Aristoteles Rhetoricor. L. II. C. XX.

§. 5.

In metaphysica ens verum & fictum exponitur; & ita quidem huic fictio usum confert nullum, sed potius ab hac ipsa explicatur. conf. Mülleri Weisheit und Klugheit p. 14. 15. Ast in physicis usum fictionis exquisitissimum plurimi nostrorum admittunt. Hypothesin enim ex circumstantiis, vel, ut alii loquuntur, ex sensationibus, pluribus fictam causam dicunt, per quam phænomena cuncta possint explicari. Eisdem hypotheses per politicam prudentiam regnare, idem asserunt; ut summus etiam fictionum usus in rebus morum cernatur. Equidem hypothesis, ita conficta, in disciplina physica & morali locum omnino habet; ejusque concinnitas in eo vel maxime consistit, ut facilis comprehensu, & omnes circumstantias & phænomena omnia, exhauriens deprehendatur. Primarium vero disciplinæ physicæ fundamentum esse hypotheses, ita confictas, nullus concederem; de quo tamen jam dicere non vacat, cum fictionum usum scholæ magis, quam Academiis, attemperare placuerit. Tantum!

COROLLARIA.

- I) Ingenium & iudicium una sunt cogitandi facultas.
- II) Memoria non spiritibus tantum, sed & corporibus, competit.
- III) Omne mendacium est fictio, sed non omnis fictio mendacium.
- IV) Quilibet hominum voluptate, ambitione, & avaritia regitur.
- V) Septem sunt temperamenta, sed quatuor propensiones.
- VI) Logica est disciplina practica.



COLLETTA

- I) Ingenium & iudicium sine fine cogitandi facultas.
- II) Memoria non spiritibus tantum, sed & corporibus, comparatur.
- III) Omne mendacium est fictio, sed non omnis fictio mendacium.
- IV) Quilibet hominum voluptate, ambitione, & avaritia regitur.
- V) Septem sunt temperamenta, sed quatuor proprietates.
- VI) Logica est disciplina practica.



Coll. diss. A. 81, misc. 12